

Etsi in Constitutione nostra, quam de anno 1514,
die 6 Octobris, super facultate eligendi ad titulos
beneficiorum hujus civitatis vacantes, de licentia
nostra Capitulis Ecclesiarum per nos concessa pio af-
fectu promulgavimus eo speciali modo, prævia pro-
testatione concessimus, quod non intendebamus ordi-
nariae potestati jurisdictionique nostra Patriarchali
in aliquo derogare, nec præjudicium facere; imo il-
lam, sive illas incorruptas & illas servare, &
manuteneré, ut signatum & expressum in dicta
Constitutione apparet: tamen quia non desunt mul-
ti, qui litium fomenta & scandala suscitare co-
nantur, gratiis & facultatibus sibi ad bonum fi-
nem concessis abutentes, & dignitatem ac potesta-
tem alterius surripere conantur; Ideo pro dignitate
& jurisdictione nostra tuendæ, & pace omnium,
semotis litibus & cavillationibus, servanda, ne
etiam aliqua observantia fallax & iniqua introduc-
atur in aliorum damnum & præjudicium, dictam
nostram Constitutionem in hunc qui sequitur modum
interpretandam, & declarandam ac reducendam du-
ximus, prout per præsentem interpretamur, et de-
claramus ac reducimus, videlicet:

Quod quinque Ecclesiæ, S. Silvestri, S. Jacobi
de Luprio, S. Matthæi, S. Canciani, et S. Marti-
ni, quæ vigore privilegiorum, sententiarum et Indul-
torum Apostolicor. primo ad Patriarchatum Graden-
sem, et deinde ad Patriarchatum Venet. pertinere
pleno jure dinoscuntur, et in quibus Clericorum in-
stitutio, destitutio et correctio ad Nos et Succe-
sores nostros vigore unionis dictorum Patriarcha-
tuum solum spectat et pertinet, in dicta Constitutio-
ne non comprehendantur aliquo modo, prout ipsas